



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 5. Rubrum Biretum Cardinali de Turnon Macaoi impositum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Beati Petri Cathedram, imo adversus Sæc. XVIII.  
 ipsum Deum a Regiis Ministris pecca- A. C. 1709.  
 tum sit, quamque exigua ratio censu-  
 rarum & anathematum a S. Canonibus,  
 Generalibus Conciliis, summisque Pon-  
 tificibus inflictorum habita fuerit, ac  
 demum quam absonum imo & horren-  
 dum sit, quod publicis Magistratibus  
 atque officiis uti permittantur illi, qui  
 multos jam annos Ecclesiasticis censu-  
 ris innodati reperiuntur, atque in eis  
 fordescunt, nullo resipiscentiæ signo.  
 Hæc igitur gravissima scandala, ut  
 Archiepiscopus quamprimum e medio  
 tolli curaret, eum vehementer horta-  
 batur Pontifex.

§. V.

*Rubrum Biretum Cardinali de Tur-  
 non Macoi impositum.*

Hoc anno Cardinalis Turnonius jam- *Vite Card.*  
 jam Macoi arcte custoditus ex li- *in vit. Card.*  
 teris Cardinalis Paluccii die decima se- *Tourn. t. I.*  
 ptima Augusti certam notitiam acce- *pag. 145.*  
 perat, quod a summo Pontifice Roma- *Relat abregé*  
 na Purpura ante biennium decoratus *de la Pers.*  
 fuisset; Eadem die Cardinalis ad Ge- *de la Chin*  
 neralem Macaonensis Episcopi Vica- *pag. 329.*  
 rium denuo, ut vocant, *monitorium* *Fattinell. rel.*  
 transmisit, quod tamen ejus famuli ac- *mort. Tourn.*  
 ceptare recusantes ad eundem remise- *pag. 13.*  
 runt: *P. Bahr. nov.*  
*Sin. notit.*  
*pag. 99.*

B 5

runt: pag. 99.



Sæc. XVIII. runt: interim fama de Turnonii pro  
A. C. 1709. motione ad P. P. Dominicanorum &  
 Augustinianorum Conventum pervase-  
 rat, qui etiam in lætitiæ signum pulsa-  
 tis omnibus Ecclesiæ campanis præter  
 Palatium Cardinalis sua Monasteria fe-  
 stivis ignibus decorarunt: Horum exem-  
 plum sequebantur Missionarii sæculares:  
 mox etiam San-Georgius Abbas mis-  
 sis ad Collegium literis P. Amianum de  
 Turnonii inauguratione certiozem red-  
 didit, Janitor tamen literas recipere  
 renuit, alii quoque tam Macaoi, quam  
 Cantonii, nuntium de obtenta Turno-  
 nii Purpura confictum esse sparserunt,  
 Mandarinum tamen de ejus veritate mi-  
 nime dubitarunt, imo etiam Didacus  
 Taxeira Generalis, ut vocant, Capita-  
 neus die vigesima septima Augusti per  
 plures Religiosos Cardinalem salutans,  
 quominus publica suæ lætitiæ ob ejus  
 promotionem conceptæ signa nondum  
 edidisset, varias comminationes sibi fa-  
 ctas obtendit. Altera vero die idem,  
 eoquod Cardinalis per commonitorium  
 publice affixum, milites excubitores a  
 domo sua recedere, & custodiam sol-  
 vere jussisset, hujus censuræ metu ad-  
 actus, trium Ordinum, scilicet Eccle-  
 siastici, Laici, & Magistratus Senatum  
 convocavit, factaque deliberatione die  
 vigesima quarta ejusdem Mensis excu-  
 bito-



bitores a Cardinalis Palatio removit, reclamantibus quidem Macaonensi Episcopo, ejusque Vicario. necnon cunctis Turnonii hostibus, imo etiam nequidem consulto Sinensium Imperatore, ex quo luculenter patet, Turnonium non Imperatoris mandato, sed a Lusitanis ex aliorum instinctu fuisse in custodia detentum. Verum temporanea hæc libertas Cardinali, ut paulopost memorabimus, exitiosa accidit, cunctis tamen hisce adversitatibus minime territus, Biretum rubrum omni, qua posset solemnitate in suo Sacello recipere constituit. Die igitur decima septima Januarii summo mane Patrem Boniour Fabri ex Ord. S. Augustini, ceterosque Missionarios, qui præfatum Biretum detulerant, convocavit, hisque præsentibus, aliisque omnibus Macaoi degentibus Missionariis, necnon P.P. Dominicanis & Augustinianis Sacrum Missæ Sacrificium ritu solemniter peregit, quo absoluto, ac prælecto diplomate Apostolico, necnon præstito a sua Eminentia juramento alias a Cardinalibus ejurari solito, præfatus P. Boniour Biretum Turnonio imposuit. Dein decantato Hymno Ambrosiano Cardinalis sub Baldachino sedens, orationem habuit, in qua inter cetera palam ac sincere professus est, se amplissimam hanc digni-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1709.



Sæc. XVIII  
A. C. 1709  
dignitatem, Missioni Apostolicæ, qua  
fungeretur, unice debere, atque in ac-  
ceptis referre. His porro rite peractis  
cuncti neo-inaugurato Cardinali, at-  
que in ipso Romanæ Ecclesiæ obedi-  
entiam præstiterunt: ipse vero Cardina-  
lis datis literis grates retulit Pontifici,  
qui eidem die vigesima secunda Au-  
gusti anno sequenti respondens, illum  
ad fortiter tolerandas adversitates hor-  
tatus est.

## §. VI.

*Nova vexatio Turnonio Cardinali  
intentata.*

*Relat. ab  
rege l. c.  
Fattinell.  
l. c.*

Attamen Sacra hæc Purpura verius  
erat baltheum, quo pro laborioso  
conflictu accingeretur, quam vestimen-  
tum jucunditatis, quo encæniatus sibi  
de firmata muneris sui auctoritate  
gratularetur: Ipsemet hoc insigne re-  
spiciebat tanquam funestum ac ferale  
labarum, quo intentandæ paulopost ve-  
xationes semper magis acerbæ, ad vi-  
vum repræsentarentur: Harum vero  
ansam inde arripuerunt ejus hostes;  
postquam enim Sinensium Imperator  
omnes Missionarios, qui Sinensium ri-  
tuum observantiam execrabantur, ex  
Sinis exulare jusserat, quinque Domi-  
nicani unacum quodam Sacerdote Ma-  
nila